



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes, Soliloquia et Manuale**

**Augustinus, Aurelius**

**Coloniae Agrippinae, 1649**

De omnipotentia Dei, 9

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)



## C A P V T I X.

*De omnipotentia Dei.*

1. **O**Mnipotens manus tua semper una & eadem creavit in cœlo Angelos & in terra vermiculos : non superior in illis , non inferior in istis. Sicut enim nulla alia manus Angelum , ita nulla posset creare vermiculum. Sicut nulla cœlum , ita nulla posset creare minimum arboris folium : sicut nulla corpus , ita nulla ullum capillum album posset facere , aut nigrum : sed omnipotens manus tua, cui omnia pari modo sunt possibilis.

2. Nec enim possibilis est ei creare vermiculum , quam Angelum ; nec impossibilis extendere cœlum , quam folium ; nec levius formare capillum , quam corpus ; nec difficilius fundare terram super aquam , quam aquas super terram. Sed omnia , quæcunque voluit , fecit , sicut voluit in cælo & in terra , in mari , & in omnibus abyssis ; & me inter omnia , sicut voluit , potuit , & scivit. Potuit quidem manus tua Domine me lapidem , vel avem , vel serpentem , vel belluam aliquam creare , & scivit : sed noluit propter suam bonitatem. Quare ergo ego non sum lapis vel arbor , vel aliqua bellua ? Quia sic ordinavit bonitas tua : & ut hoc ordinaret , non præcesserunt merita mea.

C A P V T